

TITULORUM EXERCITUS
In Gentilitiis ZAMOYSCIORUM Hastis
Sub signa POTOCCIANÆ Crucis

Ad Polonæ Dignitatis subsidium

In unione Animorum

Id est

Inter fæderata sibi per connubium ingentia Virtutibus, meritis,

Titulisque Nomina.

ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI

D. S T A N I S L A I

à Potok

POTOCKI

CAPITANEI

HALICIENSIS, KOŁOMYIENSIS &c.

ET

ILLUSTRISSIMÆ & EXCELLENTISSIMÆ D.

DOMINÆ HELENÆ

ZAMOYSKA

PALATINIDIS Smolenscensis, &c.


In Fastos perennis famæ

CONSCRIPTUS.

à militante magnis Nominibus Collegio Lublinensi Societatis JESU

Annô quo Dominus Exercituum Humanæ Naturæ fæderatus 1733.

IN AVITUM INSIGNE
UTRIUSQ; DOMUS ILLUSTRISSIMÆ



Constantine tuos non jam mirere triumphos,
Si tibi victricem fert simul *Hasta Crucem*.
*Cru*x fuit *Hasta* Tibi, dat *Cru*x, dat & *Hasta* triūphū,
*Cru*x præit, *Hasta* præit, *Cru*x ferit, *Hasta* ferit
Magna, triumphales si pectora citis amores?
Victrices faciet *Cru*x simul, *Hasta* simul.
Et verò mutuo Vos Vos vincatis amore,
Victos Vos faciet *Cru*x simul, *Hasta* simul.
*Cru*x simul, *Hasta* simul, faciunt dum fœdera; Vestrū
Victus uterq; simul, Victor uterq; simul.

ILLUSTRISIME

CAPITANEE

S Tylô armamus paginam, ut ad
 Tui etiam triumphî consortium
 admittamur. CAPITANEE
 ILLUSTRISIME. Non illū
 duntaxat Tibi optata fœdera Campum a-
 periunt Titulorum, etiam Lojolanae Cohor-
 tiaciem instruunt, sub Tui Pilavæ Vexilla
 pennas conscribunt, ad invicti Hono-
 ris Castra pro telis acumina convocant,
 Oratorum insuper folia in laureas ne-
 dunt Triumphales. Putasne? illa, quæ
 hodie tandem inter Victrices Sarrorum
 Hastas trophæa magno Nomini instituis,
 [I] Tua

*Tua tantummodo censeri debent? Nostra
etiam plausuum materies sunt & votorum
Scopus. Huc! huc, minimæ à cineribus
Ignatii scintillæ inter Hymænei tædas ad
triumphalem rogam consurgimus. Huc
mellitæ apes ad Serti immortalis Hymet-
tum inter erudita acumina tendimus.
Huc tandem sydereæ volucres, pennæ O-
ratoris suffragiò ad congregatas Tutelaris
Tui Aquilas, ubi Corpus etiam Zamoy-
sciani Exercitûs, integrîs Titulorum Ca-
strîs sub Tuæ CRUCIS sese contulit Ve-
xilla, convolamus. Et bene: quantumvis
enim ingentî meritorum pretiò compara-
tus Honor Tibi sit; non Tuus tamen ita
est, ut Noster simul non sit, qui Tui pars
etiam Dominiî magna sumus. Tuos ni-
mirum toties effeceras, quoties integrîs
gratiarum Castrîs in Victoria Illustrissi-
ma*

ma subgeras. Quoties universorum animos tot saxis in Collegii Stanislaopolien-
sis molem liberalius projectis expugnâras;
quibûs etiam Cælum Gygantes oppressis-
sent. Et inde est, quod ut vivæ aqua-
rum subrident Irides, si plures Cælum li-
berale suo Phæbo radios adjiciat: ut undæ
gemmantes tument, si astra quantumvis
irata gemmîs ditent parentem Oceanum;
ut Flores demum in solatia sese amœnius
explicant, si terra Mater fecunditate im-
brium uberius impingvescat. Sic Nobis
quoq; ad Tui Nominis augem accrescunt
corda; ad geminctum Vobis Syderibûs fæ-
deratîs, gloriæ meridiem, exardescunt.
Unde si Patritiæ Crucis Tuae vexillum in
grande triumphorum omen cum Heraclio
hodie attollis? in plausus erigimur. Si
Gētilitiō Matris Illustrissimæ Annulō Za-
moysci-

moyfciani Sanguinis Archipelagum Tibi
desponsas? in solatia diffluimus. Si de-
mum Hastatos Titulorum Exercitus sub
Pilavæ signa ingenti Tuae gloriæ classicô
convocas? ad ingentia honoris Castra, no-
stra etiam excurrunt vota. Illa scilicet:
ut inter diuturnos fœderatis Nominibus
trumphos, illam demum victoriam repor-
tetis, quæ & fatorum injuriam superet, &
Vobis optabiles Honorum fasces posthac
devinciat. Ita precatur

ILLUSTRISSIMO NOMINI VESTRO

Devinctissimum Collegium Lublinense

SOCIETATIS JESU.



rbem hodie & astra! in Trium-
phi Vestri prodigia rapuistis
NEOSPONSI ILLUSTRISSIMI.
Bellorū strepitus inter pacis Of-
ficia ciere? Integris titulorū ca-
stris in magna clarissimorū No-
minum fœdera involare? Nuptiales tædas à
conjuratae in Vos dignitatis æstu, in Nobiles
ceras diffuere? Triumphales Lauros ceu pa-
cis æternaturæ indices, pro olea, Myrtho
Maritali sociare? Quid aliud est? quàm ma-
jestuosum illud, quod sese spectatori Phæbo
objicit, colludentis Vobiscum Fortunæ the-
atrum, Orbis ad tripudiantis rei spectaculū
A undi-

undiq; confusi scena amœnior, publicus de-
mum optatæ pacis & felicitatis Hypodromus.
Ita! ita! nimirum ingentes Vestræ Animæ
non aliter quàm per honoris certamina, ad
optatæ pacis aspirant exitum; quibus nec
prælia titulorum absq; fœdere, nec fœdera
placent absq; certamine dignitatum. Ingre-
deris CAPITANEE ILLUSTRISIME ZA-
MOYSCIANI. Honoris castra: nunc inter
Patritias *Tuæ Domûs* Cruces, ut Triumpha-
tor Constantinus Latium, nunc ad *Tuæ Ma-*
tris Illustrissimæ Annulum ut olim Victor ad
Cannas Annibal, Carthaginem; nunc inter
tot honorum fasces Domui *Tuæ* jamdudum
obligatos, ceu Romanum Quiritum maximus
Capitolium; ut illos tandem *Tuæ* gloriæ ma-
nipulos, in Gentilitiis ZAMOYSCIORUM
Hastis Latio more ad feracis dignitatû *Tuæ Do-*
mûs ostentationem, defigas. Ingredere in-
quam & *Avita Tui PILAVÆ* attollis signa
non magis ad pacifica animorum utrinque
votis pugnantium certamina, quàm ad ingē-
tem totoq; spectandam Orbe maximorum lu-
ctam Titulorum. Et talem Te unū virtute
potiorē pro cūctis Græcis esse decebat Paridé,
qui in *Tui* amoris spoliū HELENAM rapu-
isses ILLUSTRISIMAM, Talem utiq; &
Illam esse convenerat; quæ ad Triumphale
Tui fædus, ternas Vestro in PILAVA
Cruces sat bene suo servatas in corde re-
periret; quas olim inter terrarum viscera,
tanto

tanto requisitas dispendio, in grande victo-
riæ monumentum, suo tradidit HELENA
Constantino. Certasti Parentum dignitate,
Gradivo Genitore, Matre prognatus VI-
CTORIA? certavit & Illa MICHAELIS *Illu-
strissimi*, id est Cœli Sarmatici Alcidae bellica
fortitudine & Moschovitico Draconi & ipsis
etiam Tartaris suo in Sanguine formidandi
Filia lectissima. Certasti Sanguinis titulo-
rumque gloriâ, nec non parem Tuo No-
mini, ceu Valerius Liviam, ceu Stilico Au-
gustam, ceu Augustus Serenam, ceu Martia-
nus Pulcheriam in Tui amoris vincula con-
jecisti. Verbo: undiq; magnis Cœlum Sar-
maticum fulgurat Honoribus, ad futuri Sere-
ni præsagium. Undiq; fulminant exarde-
scents à Trabeis ad bella, Domûs utriusque
Scipiadae, ad nascituram totoq; posthac æsti-
mandam Regno cordium unionē; Utrunque
ingentibus pugnatur votis, summis certatur
titulis & honoribus non ad animorum lu-
ctam, sed ad ingentium Nominum triumphū
& victoriam. Nisi fors dici posset: hinc u-
triusq; Domûs Vestrae gloriam pulchrius suc-
cumbere; quod neutra sese dignitate meritis
titulisq; vincere potuisset. Habes! habes itaq;
unde Tuæ dignitati robur attollas Polonia,
quò sese Hastatae titulorum cohortes in ZA-
MOYSCII ad insignem pacifici amoris luctā
sub Vexilla POTOCCIANÆ Crucis cōferūt;
in quibus militarem illam Tui Regni Aquila-

lam in grande triumphorum omen ultra cō-
munia gloriæ attollant Signa. Habes! un-
de Tui honoris perennet immortalitas! ubi
tam magnæ in unum conspirant Domûs; ut
pæne totam impleant & constituent no-
biliorem Lechiam. Illum equidem Te sem-
per Polonia nacta Parentem Leche! qui à pri-
mis ejus fasciis eam illi gloriam obligares;
quàm nec dissolverent lividi, nec laxarent i-
nimici. Accedente insuper tanta fortissi-
morum Nominum conjunctione; O Te! ad
hunc gordium, Orbi metuendum Alexan-
drum. O Te! inter tanta sanguinis utrius-
que vincula Xerxem non uni Hellesponto au-
reâ catenâ formidandum. Et jam viam Ora-
tori obstruitis agmina titulorum. Ut pro-
gredi ultra, quam ad spectaculum Vestri No-
minis non liceat; quantum scilicet sub signa
POTOCCIANÆ Crucis, hastatæ *Illustrissi-*
morum SARIORUM convolant dignitates; in
Bellona Poloniæ ZAMOYSCIA *Illustrissima*,
quantum spes Sarmatica suæ dignitatis robur
concepit in vi tantæ Domûs unita fortiore.
Ut palam jam Orbi integro constet; quan-
tum adjici potentlæ conjuratis sibi per PO-
TOCCIANUM PILAVAM Nominibûs, tan-
tum virium Poloniæ dignitati superaddi.

Ut pace stant imperia, sic amoris suffra-
gio tenentur ne corruant. Discite mortales:
carò constat empta Regnorum felicitas, ut
ipsam duntaxat unionem, quæ utiq; Serenarū
men-

mentium partus est, ad suæ dignitatis admit-
tat pretium. Si Senecæ? si Plinio? si Xeno-
phonti fides est? florentes etiam Respubli-
cæ horti sunt, & Principes Hortensii! ubi
nimirum altæ consangvinitatum arbores
intra unius septi compendia, ingentem ho-
noris fructum proferunt, quæ aliàs per va-
sta divisæ nemora, aut inanem labruscam e-
dunt, aut ulcerosos fætus progenerant.
Confusa in unum flumina proh! quantum
conflarunt Oceanum! cum tamen per pro-
prias divisa venas vix modica stillantis aquæ
portio sunt, & exilis gutta! Ut Cœlum
quandoq; Atlante vertice succollet Olym-
pus, non saxa in subsidium vocat sed ato-
mos, quæ utiq; dispersæ tam exiles sunt, ut
intrent quantumvis ipsius pupillæ aspectum,
sentiri quidem sed non videri possunt. Ut
Cœlum in Gygantes sui oppressores detonet,
non fabulosa laboret Vulcania, sed diversi
quantumlibet humores Phæbi operantis be-
neficio coalescant necesse est; cum hi quan-
doquidem in se divisi vix modicus terræ
vapor sunt & inanis umbra. Ut tandem
quævis Reipublicæ oneraria ultra omne fa-
torum enatet diluvium, parum est, si Custos
Regnorum Columba pacis oleam præferat,
mansvescat insuper Leo cum Agno, eademq;
Leopardo mens sit & Tygridi. Quid vero
ille faxeus Deucalionis labor & inanis adeo?

terram potius obruisset, quàm reparasset, nisi illis Memnonibus splendidam à radiis animam infudisset Titan, qui quantumvis per Orbem dispersi sunt, uno tamen in sole concentrantur. Credite nec Cadmus clypeatam virorum messem colligeret, nisi prius non Caput, quod unum est, mactaret; sed dentes Draconi quibus pro cibo secta sunt; humi defoderet ne amplius pullularet discordia. Nec Victor tamdiu cum Monstris certaret Alcides, nisi in suæ pugnae consortium ubi non posset feram, pellem adscisceret; Ut tandem vel ipsa cutis fæderata cum Hercule suo pugnaret pro Leone.

Et hæc sunt ingens Domûs Vestrae Umbra ac idæa PILAVITÆ *Illustrissimi*, Regni Sarmatici Antonii. Nimirum ut carò, nam Vestro empta Sangvine constat Patriæ dignitas; sic Vobis in illa Civium unio vita, & discordiæ sunt toxica animorum. Implantastis Patritiam Domûs Vestrae Arborem solo Lechico in Zeroslao, non ligone utiq; sed Ense, nec alieni etiam roboris suffragio sed Vestri; Dumq; illam laborans pro Vobis Honor Vestro cruore suffunderet, boni Superi! quanti, proprii Sangvinis beneficio surrexistis! nunc in ViceRegum poma, nunc in Ducum clavas, nunc in Mareschalcorum Scipiones pæne innumeros, ut metuendum esset invidis, ne totus Vester PILAVA in Dodonæ lucum

lucum pullularet, illosq; honorum fructus
intra se aleret, quos jam exhausta Scep-
tris Coronisq; nemora per Orbem dispensant,
nec adhuc famem replent, ita tamen semper
modestè creverat; ut nunquam extra Patriæ
Regumq; septa, deflexisset. In hoc nonnisi
Vester excessus notabatur, quod ubi Vos
ingens, quanta, quanta est! Lechia non cape-
ret; Arboris Vestræ ramos, nunc in Germa-
niam ad Neoburgicos Principes, nunc in Mo-
schoviam ad Caros extendistis; Nisi quod
fixam semper Patrio in solo plantam tenere-
tis, adeoq; si Vestri PILA VÆ proceritas Or-
bem Lechicum quandoq; excederet; fecit
hoc: ut exteræ Gentis decora sibi incorpo-
raret; non sua, per Patriæ damna exteris
dispensaret.

Et hanc Vos Arborem ceu potius Hono-
ris sylvam alluitis, ingentes veluti Sangvi-
num decursus, dum toties in Vobis Cruor ad
salutem Patriæ exsiliret. Hunc itaq; Quan-
tus Quantus est! Domûs Vestræ Archipelagû,
o quanti dilatant exercitus fluviorum! nunc
in Principe Lubomirsciorum Srzeniawa,
nunc in purpureo Rupnieviorum Druzyna,
totusquè demum Sarmaticus intrat Vistula
cæteræque Vos Domus, ceu gemmæ Gangem
exornant, & Clenodia. Ampliastis insuper
hocce Vestri Generis altum magno Cruoris
diluvio; dum illum non uno ceu Nilus ostio,

nunc in STEPHANO cum Cosacis, nunc in
DOMINICO & STANISLAO ad Sangvinem
usq; colluctante Turcis uberius pro Patria
funderetis; faceretisq; ut ipsæ etiam Aquæ
hucusque rubescant; eò, quòd Vestri Sangvi-
nis dignitatem erubescant, quòd nusquam il-
lum meritò fovere possent. Contigit ut il-
lum etiam extera quandoq; Regna in Galliæ
Principibus delibarent, fecerant hoc; ut post
hausta tandem Vestri Cruoris pretia puteum
aut potius alti Sangvinis Oceanum Romano-
rum ritu Lilio Rege coronarent.

Ut verò par cælo Domus Vestra est sic Vos pri-
mæ magnitudinis Astra, & Syderum Olym-
pus maximorum. Huc sese reclinant Princi-
pes WISNIOWIECCIORUM Auroræ, quæ
Vobis fortunatum Honoris accendant ma-
ne. Huc rubentes hostili tabo SIENIAVIO-
RUM Lunæ, quæ à Vobis omnem fatorum
propulsent Nubem. Huc cætera Poli Sar-
matici Sydera, quæ Vestri PILAVÆ fulgori-
bus lucem adjiciant titulorum. Sudastis bel-
lico in pulvere POTOCCII; indeq; ultra o-
mnem provecti Orbis Gloriam in Succolla-
tores Cœli Sarmatici Athlantes tumuistis.
Quamquam id non tumor vero nomine dici
deberet, sed Vestrorum demissio animorum,
qua Vos ad summa belli incommoda dejeci-
stis; ut cadens quandoque Patria resurgeret.

Ubi

Ubi vero oppressor Gygas non unum commoveret lapidem ut Cœlum Sarmaticum unâ cum Patriis Penatibus expugnaret, Vos invicti Scipiadæ, Vos fulmina bellorum ad manum semper (ut ita dicam) Polonæ Aquilæ fueratis, & Gygantem quantumvis ictum generosius retrusistis, ut jam de Vobis illud Gloriæ Classicum toto Orbe vocale sit: quisque POTOCCIUS & pro Patrio Cœlo Hector magnanimus & pro Jove. Et hinc est, quod tam pulchrū tamq; salubrē Patriæ Mentis Vestræ humorem Ipsi Regnorum soles amant dum præmiant, aut potius quandoq; invitos ad Honoris publici trahunt lucem.

Et ut eam per laudum Vestrarum compendia; Vos Palinuri Navis Sarmaticæ, Vos Jasones fortunati, qui scilicet non jam Cæsarium, sed Regni Lechiçi fortunam vehitis remo hoc, quod nuper ADALBERTI Sanguini innatabat, Vestro autem hodie Celsissimo THEODORO Primati Poloniæ ad manū est, Vos Ulyssæ maximarum in Patriam Victores tempestatum, qui ne fata Poloniam fraudulentæ quandoq; Syrenes occinant, ingentibus Domus Vestræ Ceris munitis pectora, vallatis aures, ne quandoq; illa Vobis vocalia Patriæ funera cor & aurem verberent. Adeo Vobis invisa est Lechiæ calamitas ut nullam quantumvis blandam vocem, quæ libertati præfica sit, ad aurem admittatis. Vos tan-

C

dem



dem tranquillitatis publicæ Custodes ita ad pacem cuncta componitis, ut & cordis generositate cum paribus & mansuetudine certetis cum minoribus, Verbo: Vos POTOCCII in pacifica Patriæ oneraria cum Agnis, Agni, cum Leonibus Leones Magnanimi.

Vos Cadmi Poloniæ strenuissimi exasperatam in Nos draconis Moschovitici famem unâ cum dentibus excussistis, ne pulcherrima hæc Regni Nostri libertas in pabulum quandoq; tam enormi monstro obtingeret. At verò quanta hinc Domûs Vestræ Messis Gloriæ; quanti dignitatum surrexere manipuli! Cælum melius vidit, Regna audiunt, annales testantur. Vos demum Inviçti Alcidiæ POTOCCII, ubi nimirum Leo Sveticus ungvè armaret in Lechiam, ultricem Ducalis manûs Vestræ clavam sensit, & prædam in Patria quærens ipsemet Vobis in prædam cecidit. Et ut totam hanc dignitatum Vestrarum Iliadem nucleo concludam, crevistis inter dignitates POTOCCII ut Dodona, ampliastis Vistulam Polonum ut dignitatum Oceanus, Cælum fulsistis Lechicum ut Athlantes, repressistis hostem ut bellorum fulmina, vexistis Fornunam Regni ut Jafones, domuistis Hydram ut Cadmi, vicistis Leonem ut Alcidiæ.

Quid verò si per singula eam, immensosq; Domûs Vestræ fastos ad calamum revocem?
quot

quot Duces Patriæ invictos numerastis in a-
cie? quot purpuratos Patres in Senatu?
quot tandem Aristidas in curia? boni Supe-
ri! Tredecim POTOCCIOS universæ Sar-
matiae robur intra suam inclusisse vaginam
& nutum, supremos armorum arbitros ex-
titisse & Dominos quis credat? nisi fidem Ve-
stra extorsisset dignitas, eò inquam, quod
adhuc his omnibus major esset. Si fastos
demum consulo? si antiquiorum monumen-
ta revolve? si Assyrios? si Persas? si Græcos?
si tandem Romanos examino? nulli Prosa-
piæ tam constantem tamq; diuturnam armo-
rum potentiam credere ulla Gentium aut
voluit aut potuit. Equidem si politicæ mo-
numenta disquiras? nulli diu potentem esse
expedit; nisi qui sit optimus. Quos enim ar-
maveris & timeas necesse est. In Vobis dun-
taxat POTOCCII ILLUSTRISSIMI ut fides
in Patriam invicta est; sic & armorum pote-
stas diuturna. Habebat equidem Ducem Car-
thago Annibalem sed unum; Athenæ bello-
rum fulmen Periclem, sed Phænicem. Æmili-
os Roma armorū imperio admovit idq; binos,
Scipiones quinque ad Clavum Imperii nume-
ravit; Et jam innumeros recensuit! Vos
PILAVITÆ *Illustrissimi* tot clavas ad manum
habuistis, quot quot nec illi forte viderant,
& adhuc sat pauci illam tenebatis dum plu-
res adhuc regere POTOCCII mereretur.

*Illustr. Po-
toccii 13 E-
xercituum
Duces.*

*Ex Illustris
simis Potocciis 50.
Palatini &
Castellani
80.*

Quid si trabeatos adhuc Domus Vestrae manes ad Calculum revocem? Haberent fane Romana Capitolia, quod & in Patritiis ad purpuram erubescerent, & in Fabiis. Quinquaginta Patriae Senatum exornari Palatinis; octoginta demum Trabearum dignitatem augeri Castellanis, quid simile vel fasti Regnorum habent? vel retroacta saecula memorant? Et verò prodigiò major est elevata adeo Vestri Honoris Potentia, non quod vires in Vobis fors ejusmodi superaverit, sed quod constans ejusmodi felicitas vix humana dici posset nisi esset POTOCCIA. Producat tandem ad publici Honoris Theatrum suos olim quotquot Roma habuerat Senatores; & Quiritibus Quirites, id est: his omnibus unicos opponemus POTOCCIOS & vinces. Priores vel Tribunos in Senatu dici heu quam ingens Gloriæ pondus erat & quam arduum! secundos demum, plus, quam centum viros Poloniæ esse trabeatos tam exiguus labor censebatur & opus, quam illis ut Cives saltim vel Romæ dicerentur, vel Agrippis. Quid verò si pennâ etiam ad calamos Patriæ evolem? quos ultra decadem Regni Notarii ad manum habuistis? nimirum lassata Vestrorum numero rectefactorum æternitas, cum nec magnitudinem illorum caperet nec seriem; Vobis tandem, ut ipsimet quâ patraistis nuper, eadem quoq; manu merita

*Ex Illustris
Potocciis.*

rita in Patriam scriberetis & fastos Poloniae *Notarii Regni quatuordecem.*
credidit & ultra decem pennas comodavit,
eò quod una Vestris meritis minime suffice-
ret, dum illa & titulorum marginem exces-
sissent & Orbem. In hoc vel maxime Ve-
stri amoris in Patriam auro cedroq; nota-
stis characterem, quod omnia in Vobis ad
calcem legum expressistis, ut ne minimum
quidem jota vel punctum Honoris Sarmatici
omittatis. Temperastis calamum, sed ad in-
cisa hosti, acuiatis pennam, sed non ad divi-
sionem Patriæ in membra, notastis paginam
sed ad ultimam usq; periodum Lechicæ di-
gnitatis. Hujus itaque suffultis pennæ mi-
nisterio non mirum est, si Vobis contigerat
ad Honores non currere jam, sed volare.
Adjecit Vobis pennam dignitas & merita,
ut & cum Sagittario ad Cælum Honoris ut
Patriæ Arcitenentes, & cum Regni Aquilis
ad soles publicos ut non degeneres Pulli
nullo prætervolante attingatis.

Si tandem excubiarum Præfectos nume-
ro vigilantissimos? id penè Vobis congenitum
est, quod pro Patriæ integritate excubetis;
Qui viva Sarmaticæ libertatis pupilla estis.
Spectabant pleriq; Gradiui aciem torvo oculo;
Vos semper amæno ac fudo. Cæcus in aliis
amor Patriæ fuerat; in Vobis centoculus.
Et jam fere inane somnium aperta clades
Patriæ reliquis censebatur. Vobis verò &
D palpe.

*Ex Illmis
Potocciis
Præfecti excubiarum & Regni & M.D.
L. undecim.*

palpebrā verberabat & pectus, dum illi aut
vigiles prospexistis ut Regni Custodes, aut
apertō indormistis oculō ut Leones. Et cer-
te si Castra Regnorum æraria sunt, in quæ
utiq; non unō defudat metallō Patria, non
alteri quam Vestro PILAVÆ; Cujus demum
sibi juratam fidem Patria æstimabat, ceu
Thesaurum Tiberii credidisse nec potuit tu-
tius, nec debuit. Ne si prædo quandoq;
extraneus illum invaderet absq; Vestræ pal-
pebræ Patrocinio vel raperet vel mutilaret.

Ex his itaq; cæterisq; quibûs octo fere sæ-
cula vicistis, Honoribus, robur Vestræ Do-
mûs colligimus; Quanti nimirum sitis PO-
TOCCII qui nec vi armorum superari in
Ducibus, nec meritorum fastis transcribi in
Notariis, nec vigiliis pro Patria prosterni
in Excubitoribus, nec tandem titulis in tot
Domûs Patritiis ac Magnatibûs, vinci po-
tuistis

Jam accedo ad primam Domûs Vestræ
Frontem coronatam Primate Celsissimum.
THEODORUS hic, id est ingens Divorum
munus & Patriæ, omnem illius fortunam
pretio meritorum ditavit & auxit. Cul-
men primæ Cathedræ Caput Tyaratum
& decus, mox tandem ascendit in Varmi-
am & Princeps optimus & Pastor. Ulbi non
tam Principem gladium & pedum manugef-
fit quam dextram potius aptavit ad majora.

llt

*ima Domus
Potoccianæ
Frons Pri-
mas Celsis-
simus.*

Ut bene scilicet exercitam in hoc Præfuleorū
Fascium Tyrocinio manum ad Sceptra Vice-
Regum promoveret, & per hunc Honoris
gradum Gygante passu præfiliret cæteris, ad
summa quidem sed non minus & aspera. Ubi
nimirum primum lapidem in Gnesnensi saxo
ad tam vastam tamq; magnificam Regni Sar-
matici molem Lechus Fundator projecerat,
ut vel ab hoc tandem ingenti Lydio aurea
in THEODORO virtus probaretur. Sicquē
illud primum Honoris Sarmatici saxum in
quo nidificavit olim Mater Polonorum A-
quila, Vestræ tandem concredidit Patria fi-
dei & tutelæ, ut si tam ingens Honor Po-
loniæ est? quod nondum ab illis usque na-
scentis Regni exordiis per tot sæculorum
spatia adolevit, infantem adhuc Gloriam Ipse
THEODORUS, qui Patriæ Pater est & Tu-
telaris tueretur. Et hæc fuerant prima Ve-
stri Patrocinii festa, cui sese integra ad Ho-
noris Vestri aras devovit Patria, hæ sunt in-
quam Sacræ dignitatis Primitiæ, ad quas A-
mor Patriæ Sacerdos primum Sacris Purpu-
ris Titulisque obtulit THEODORUM PO-
TOCCIUM, & jam Primatem Celsissimum;
Quasi jam in nullo esse possetis Apice digni-
tatis POTOCCII quin sitis Primi. Adeo ad
Vestrorum magnitudinem meritorum exilis
quisq; Honor censetur & dignitas. Quid si
tandem in Sacro Tyaratorum Patrum Se-

natu binos saltem numeraret Lechia PO-
TOCCIOS? quid si tres demum? Quid tan-
dem si plures Antistes Honor ex Vobis of-
fenderet? nec Trabeæ Vobis suffecissent nec
Violæ. Ne tamen tâta dignitatis Vestræ festa
quæ in primo Capite THEODORO Celsmo
ceu in Sacro Domûs Vestræ pignore ad aras
Honoris deferendo solenniùs celebrastis,
absq; suo etiam forent Pantheo, molem illam
Patriorum Penatum, quam Lechus olim in-
cepit à Gnesna, Vos verò Fabri Sarmaticæ
Fortunæ cum cæteris coronastis, Apicem in-
super illius Vestro notando PILAVA Ho-
noris sacrarium Augustal gloriæ, Religionis
Templum effecistis. Unde si quos in ante
Sarmatia dignitatis suæ Prædones unicè cen-
sebat, nunc verò Vestris notatæ Crucibûs si
quispiam detraheret, tam illius injurium,
quàm simul vestræ censeret sacrilegû. Tan-
tum scilicet PILAVA Vestro imposuistis vo-
tum Honori erga Patriam ut detraxisse illi
etiam minimum, grande piaculum sit & e-
norme scelus. At tantumne Patriæ obse-
quiis sese devoverat Princeps Celsissimus, ut
nihil in se Cælo etiam relinqueret? vel sic
fidei Superumq; obsequiis sese Dei munus im-
pendit THEODORUS? ut nihil pæne tot
licet inter curas laboresq; fatiscens, pro Pa-
tria egisse videretur? Primæ sanè magnitu-
dinis sydus est, qui & aureæ in Orbe Sarma-
tico

tico libertatis fortunato diei quantumvis
 præsit Luminare majus, & terris liberali ra-
 dio influat, quasi tamen nil fecisset adhuc in
 gratiam universi, ita suo concatenatus Cœlo
 manet Divorum Lux & Splendor Cœlituum.
 Vestalem plane flammam putassetis, quæ &
 aris Superum pulchrius illucet & publicæ
 demum pacis amoribus exardescit. Norunt
 illum utiq; Crolense, Nosbergense, Szeynve-
 sence non tam Templâ, quàm Castra Domi-
 ni Exercituum, ad quæ Duce suæ pietatis e-
 xemplo non tam invitavit, quàm potius pul-
 chra quadam Templorum Majestate illectis
 corda rapuit & astris devicit. Novit ejus
 munificam manum Brunsbergensis non jam
 convictus, sed Catholicæ fidei Pænus, ubi
 scilicet tot in obsequium fidei Lutherum
 Calvinumq; nauseantes ita melius sapuerunt
 ut ad strenuum pro fide certamen pararē-
 tur. Tui sunt hæc *Celsissime Princeps* Di-
 gnæ Romano Capitolio, Capitis industriæ,
 Tuæ pro quibus Cœlum paratur Tibi ut
 merces impensæ, quibus non tam animas lu-
 crabaris DEO, quàm emebas. Quid si hi de-
 mum fidei pugiles Tuo ad insignem luctam
 comparati beneficio de aliis quoq; sanctius
 triumphent; mancipatos DEO in spoliū du-
 cant! quid si tandem secundi tertios, & hi
 rursus alios fidei obstringant sic devin-
 ctos; O quot ingentia invicti zeli spolia!

*Promotor
 gloriæ Divi-
 næ Primas
 Celsissimus.*

*Plurimum
 Templorum
 Fundator.*

E

quot

quot triumphi ! quot prædæ ! quot tandem
 Te nova Christianæ Militiæ Castra Cælo
 & Orbe acclamante expectant THEODO-
 RE ! Sed quid aliena narro & mea subticeo,
 an potius Tua ex toto *Principum Celsissime*;
 quæcunq; Lojola habet tam splendida tam-
 que Tuo favore magnifica; quid enim illud
 parvum quantumvis sit sed Principe manu
 instauratum, non tam Terragium, quàm Cœ-
 lum Lojolonum Varfaviæ ? Quid Resilien-
 se, Tilicense, Brunsbergense demum Colle-
 gia & Templâ Tuo beneficio ampliata? quid
 deniq; Lanciciensis primo Missio tandem
 Residentia Tuæ munificentiae Domus inqui-
 linæ, quam ingentia Tuæ in Nos gratiæ mo-
 numenta. Adeo Te hilarem Datorem astra
 vident, Lojola diligit, nos colimus, nempe
 tam prodigum in nos, quàm promptum. Et
 hoc est ingens sane Tui in Nos favoris pro-
 digium *Mecænatum Celsissime*; nimirum ple-
 riq; in uno duntaxat beneficio unum dant,
 nec plura congerunt, Tu in singulis etiam
 muneribus dona multiplicas & gratias; dum
 illud bis das, quod tam cito confers tamque
 munificè.

Ast tantumne Vester THEODORUS Pro-
 ceres Illustrissimi Lojolanas Domos implevit
 beneficiis, ut nullum deinceps Vestris etiam
 favoribus locum relinqueret ? Consangvi-
 neum utiq; & Vestro plane Hæroico San-
 gvini

Societatis IESU Munifi-
 centissimus
 Fundator &
 Protector.

gvini congenitum ut tot quantumvis nos
inundet beneficiis, adhuc sese in militantem
suo Nomini JESU Societatem effundat ube-
rius. En Achillem Sarmatiæ Palatinum Vo-
thyniæ *Illustrissimum* ! Cujus Majestatem Ca-
pitis ne tot Laurus nuper de hostibus colle-
ctæ implerent, ne manum tot jugula quibus
libertatis oppressores subegit, constringerent,
ut etiam de Lojolana cohorte novum plane
triūphandi gen9 invenerit Dū Crasnostaviæ
non Templū instituit, sed aureum Lojolanæ
militiæ propugnaculum ; ubi & munificen-
tia magni Nominis, nullis, quantumvis in-
gentia sint, aliorum muneribus vinci posset
& animos POTOCCIORUM Gratiis manci-
paret. Novi plane Homeri sub illo Alexan-
dro evasimus, ut aureæ Ejus liberalitatis æ-
rario includamur deinceps non Templo; cui
& parietes obryzô scintillant & auratis te-
cta bustis Orbem irradiant, ut nullum plane
Fundator æstimatissimus hanc inædem mo-
veret lapidem, qui non esset pretiosus. Et
hanc de singulis instituo Panegyrim non im-
memor quantum omnibus Vobis POTOCCI
JLLUSTRISSIMI debeamus. Quod debitum si
non nos terrigenæ persolvemus, obærant
Cælum Coelicolæ. Conduxistis etc-
nim illud Vobis jus patronatûs & gratiæ, tot
impensis in nos munificè elocatis, quibûs I-
psum etiam Cælum Vobis licuit, Hæreditarii

*Illustrissimi
Palatini Vo-
thyniæ vi-
ctoriæ; qui-
b9 & hostem
de vicit &
Societatem
IESU sibi
mancipavit*

*Illustrissi-
morum Po-
tocciorū Pro-
tectio &
munificentia
in Societate.*

Lojolæ Mecænates. Quod equidem non solis duntaxat Vobis commune est (fatemur) sed tamen omnibus; adeo ut ullus adusq; dici prætendat POTOCCILLIS si non talis, quales Vos omnes experimur & æstimamus. Sed hæc quæ nunc diximus non Vestræ gloriæ Domûs sunt, sed nostræ; nimirû Lojolan9 ille Honor est Vestræ tutelæ subjici, quorum Patrocinia & ipsa quandoquidem Lechia prætereundum non erubuit. Permittetis itaq; ut adhuc ad Vestræ laudis compendium, Decus magni Nominis Illustrissimum Palatinû Belzensem adjiciam. Nuper Vitellium ad Orbem Sarmaticum proclamatum Subdapiferum egit Lithvaniæ & Sarmaticæ dignitatis Nutritium. Illumque sese unico condivit Honorem adeo, ut universorum in se gustum gloriæque famem non minus commoveret, quam nutriret. Adeo cunctis ejus sinceritas in omnes, amorq; Patriæ arriserat ut illis duntaxat non saperet, qui Sarmaticæ dignitatis sensû plene gustûq; amisissent. Ab hoc tandem bene merentium pane ad rosas Trabearum evocatus Palatinus Illustrissimus non minûs Serenissimi Augusti Gratiâ quàm suis meritîs, & Sâgvine bene sibi cõditas accesserat; ut in illo dignitatis flore ceu Sarmatici Cœli Aurora, non minûs Domûs suæ Gloriam, quàm ulteriorem etiam spem Patriæ de se conceptam aleret, id est: brevi illud Honoris Tra-beati

Decus Incl-
ta Domûs Il-
lustrissimus
Palatinus
Belzenfis.

beati Cœlo Lechico accensurus mane, ad
 quod publici honorum Soles convolent di-
 emq; Patrio Cœlo aperiant serenissimam. Sed
 nunquid per singula Domûs Vestræ decora
 progrediar? qui sæculorum estis meta non
 temporum? Quot adhuc intermisit exilis
 stylus & pagina? quos corde Polonia intime
 notavit et fastis, Illustrissimos, Castellanium
 Bractaviensem; Grabovecensem, Beżensem,
 Szczerecensem, Trębovliensem, Leopoliensem
 Capitaneos, quorum singuli vel magni in co-
 mitiis Regni Catones, vel ad Themidis En-
 sem Defensores justitiæ Aristydæ, vel bello
 Romuli, vel pace Numæ. Et adhuc quot
 tam ingentî numerô tomos exceditis? & ad-
 huc quot jam majoribûs meritîs Orbem su-
 pergressi & Vobis Cœlo emeritam frontem
 porrexistis POTOCCIORUM Manes Illu-
 strissimi? Fidem Superum! & paginam series
 Vestræ Domûs superat, & sæculorum laborē
 merita exhauriunt.

Et hæc sunt omnia Tuæ laudis argumen-
 tum *Capitaneæ Illustrissimæ*; nempe laudantur
 hi, & Tu laudaris in omnibus, Illorumq; Ho-
 nor Tui Nominis quædam hæreditas est &
 Sangvinis. Coronat illam suorum insuper
 apice meritorum Ille, qui Domûs amplissimæ
 frons est & grande fastigium Palatinus Kijo-
 viæ Illustrissimus Pater Tuus. Quantus sit
 inde colligimus, quem scilicet non plurimo-

Corona &
 fastigium
 Celsissimæ
 Domûs Illu-
 strissimæ Ki-
 jovia Pelat:
 Parens Illust:
 Capitanei

rum livores possent dejicere, non malevolorum invidia prostrernere, non labores pro Patria vincere, non tandem inconstans fortuna superare. Boni Superi! quanta in ingentem virum nuper sese fatorum moles devolverat! sub qua & concideret certò Enceladus & fatisceret Briareus. Nolim ego longam hic fatorum seriem in paginam producere, ne aut attollendo insolentes casus, fortunam levitatis reprehendere, aut fatorum inclementiæ detrahendo tanti Herois dexteritati videar ademisse. Ad meæ duntaxat veritatis documenta Ipsum Te invito *Capitanee Illustrissime*, qui probatæ per infortunia fortunæ ut olim suus Æneæ Ascanius, & Comes indivisus fueras, & Testis oculatus. Et verò novum illud planèq; insolitum colludentis Illi fortunæ videbas protunc spectaculum, ut inter ipsa armorum Officia pacis munera cæca fors susciperet; & per ipsa nutantis famæ media in hoc tandem (è quo hodie Orbis integer suspicit Palatinum) dignitatis apice eò altiore, quo majori aquisito dexteritate obfirmaret. Videlicet: cum indignum esset, ut tam ingentis Viri gloria solis Poloniæ finibus clauderetur, placuit probanti Heroem fortunæ, ut per tot fortis adversæ luctas non hostium duntaxat, sed & fatorum etiam invictus Domitor, Palatinus Kijoviæ orbi integro, ceu nitidior ab umbris adamas, ceu

ceu vocaliùs gloriæ echo, faxò repercussum,
inclaresceret; illumq; ceu gentis heroicæ de-
cus non sola amaret Patria, sed & imperia
extollerent, & vicina regna timerent, cæ-
teraque tandem dominia non minùs magni
confilii Virum audirent, laudarent, quam
stupèrent! Compositis demum paceq; publi-
ca reb9 obfirmatis ne in ipsa quoq; toga gra-
divus non esset Parens Illustrissimus, inter
media quietis publicæ otia, in Lechiæ sub-
diū istitit allaborare, dispersūq; militem sub
sui PILAVÆ signa cōvocare, acies publicas
ludosq; ad militiæ exercitiū instituere, pro-
pugnaculīs tandē Sarmatiæ integritatē va-
lidissimè tueri, & illud *Illustrissimi Patruī Tui*
& Tuo Nomine qui Lechicæ dignitatis azylū
es, Stanislaopolim nuncupare. Et ut non
ipso duntaxat Orbe, sed & Cælo etiam suf-
fragante Polonæ Gentis gloriam propugna-
ret, ad hujusce munimenti præsidium Cæli-
tes quoque adscivit fæderatos. Ratus nimirū
nec pacis tempore quærendos Romæ Janos,
nec bellorum tempestate Gradivos, aras Di-
vis Tutelaribus incoluit & Tempia, non mi-
nus bellicæ telluris, quam Sacrorum Cultor
eximius. Et verò facilius sui penates fle-
ctuntur ad vota, quàm extranei; adeo ut si
adhuc ingentibus Palatini meritis majorem
quandoque campum, armorum licentia ape-
raret, videret utique Orbis integer & stu-

Fortalitiū
instituit
Stanislaopoli

*Collegiatæ
Stanislaopol:
Fundator
Munificentiæ
simq. D. Vin-
centii lypsa-
na ad Tem-
plum intro-
ducit.*

peret; quantū etiā Dii Opitulatores tam stre-
nuo operi manum admoverent, & cum pu-
gnante pugnarent, cum vincente Palatino
triumpharent, Inde est, quod ipsa tandem
Vincentii Divi Lypšana in Sacrā hujusmet
propugnaculi ædē ceu tentorium Domini E-
xercituum à se magnifice reparatum inter in-
gentes armorum lituos Divinæque Gloriæ
Classica introduxit. Quid verò fæderata a-
deo in Cœlites obsequia hoc Vestro pieta-
tis opere evicistis? illud nimirum; ut & Dii
etiam Tutelares ii solūmodo haberentur
ad manum Heroi POTOCCIO, qui essent
nonnisi Vincentii. Verū & hæc trium-
phorum studia intra conatum illius fuissent
& animum, nisi ita sibi vincendi potentiam
obharrasset, ut nil quidquam de Castris in
prædam cuiquam commodasset, præterquam
Cœlo. Quasi illud invictum pectus suo-
rum adeo cladibus vinceretur, ut vel cripi
satius prædam ab hoste per suæ etiam vitæ
dispendia censuerit, vel redimi. Oratori non
creditis? fidem adstruite tot institutis Re-
demptorib9 Captivorū cænobiis nunc Stani-
slaopoli, nūc Tomaszoviæ, nūc demū in primo
Urbis illius aditu Krotoszyni, Trophæa utiq;
hæc sunt POTOCCIANÆ pietatis in suos &
obsequii quò astra sibi devinciunt, monu-
menta. Præmoneo attamen Redemptores
Inclytissimi, bina POTOCCIANÆ Domui
esse

*Tres Convē-
t9 PP. Trini-
tariis fundat*

esse mancipia, nunquam suo jugulo exsolven-
da; fortunam scilicet ingentem & gloriam, eò
quod & se ipsam utraque oppignorasset PO-
TOCCIUS, & Dii insuper antequàm ingentes
pro aris focisque; Palatini curas Cœlo exsolve-
rint, in obsidem illam tradidissent. Adeo
ingens est POTOCCIUS præmii Fidejussor I-
pse DEUS.

Adjecit insuper ut ingentibus me-
ritis pretium, sic & Nominis Vestro trium-
phum inclytus Regum Sangvis, ILLUSTRIS-
SIMA de LESZCZYNIIS VICTORIA, Con-
fors olim Palatini Kijoviæ Lectissima, & Ma-
ter Tua. Quanta sit? pagina non concipit,
dum & Panegyres suis virtutibus jam exces-
serat & Orbem. Magnitudinem tamen Il-
lius vel inde conjicimus: invitis etiam corda
in sui obsequia rapiebat adeo Majestate fron-
tis æquales, manū etudine animi minores, li-
berali manu inopes, pietate tandem Supe-
ros devicerat, ut ab omnibus coli, extolliq,
deberet quantumvis nollet. Sed tamen fidem
Superum! quod illud adeo sanctioris trium-
phi genus & fortuna? tranquillitate animi
corda subigere, benignitate vultus duras e-
tiamnum cervices inflectere, suavitate oris
animum expugnare, ut nullum reperias, qui
Cor, ejus benevolentiam victum non traderet,
manus stipulatas honori tuendo non offer-
ret: Os ad ingentia gloriæ Classica nemine
G recla-

*Decus Po-
tocciani
Nominis
Illius de
Leszczy-
nis Potocka
Palatina
Kijoviensis*

reclamante non resolveret. Quod insolitum est & Orbe pæne integro à sæculis non auditum, vincere sine livore æmulo, absq; colluctante invidia triumphare. Equidem si Orbis Domitorem Alexandrum inquirimus? hic utiq; suum Darium habuit, si Annibalem terrorem Romanorum? & illi adversus Scipio non defuerat. Si tandem ingentem Orbis gloriã Constantinum? nec ille suo carebat Maxencio. Si enim jugulo hostis cervicem premimus? Oris utique libertatem frænare non nostrum est, sed Divinum; in cujus potenti dextera ut lingvæ universorum sunt, sic & corda. Illud duntaxat supernæ potentiae robur in unica ILLUSTRISSIMA VICTORIA mirabatur Orbis, dum videbat, nec pupillorum exercitus in illam conqueri, nec vultus Majestate deterreri quam animi lenitas temperavit, non tandem munificam manum à cæteris incusari, quod plus, quam petiissent cum Alexandro contulerit; non pietatem unquam reprehendi à Superis, quod illam pro mensura magni Nominis & Fortunæ per Altaria Divorum ampliârit. Jamne enim una cum funeribus Palatinæ, illa quibus adhuc Lojolani vivimus beneficia, simul corde, simul animo exspirant? vivunt! vivunt! adhuc illa Stanislaopoliensis Templi decora, vivunt tot insepulta fere numerosis donis Altaria; Vivunt tot viva Divorū Simu-

Simulacra, quæ ut memoriâ immortalem Fundatricis amplissimæ menti revocant, sic oculos animant ad dolorem. Viget adhuc eruditus ille Campus non minus post prognatam è LESZCZYNIANO WIENIAWA, ceu è Capite Jovis Palladem, aureo ejusdem influxu sæcundus; quàm post fata Munificentissimæ Palatinæ lachrimis alumnorum, irriguus. Sed ut quid tandem dolorum Castra in aciem produco? cum illa triumphi hodie Tui propulsent *Capitaneæ Illustrissimæ*, & Campum lachrimis præsens lætitia non permittit. Satis dicimus: cum tantum dedisset ut plus jam Superis & Lojolæ dare non posset ad compendium sui favoris Ipsam sese in spoliū Cælo nobisque donavit. Et hæc est Divina plane de Orbe integro & astris norma triumphorum, qua sibi omnes populorum Divinosque favores subegerat *Palatina Illustrissima*, utinam nobis plures astra conferrent ejusmodi VICTORIAS! quam crebro illis Orbis integri gloriam vinceremus.

Horum itaque Tu ingentium Parentum non degener Filius, non minus Sangvinis exististi Hæres, quàm Virtutum. Ille nempe Heroicum Tibi infudit Sangvinem ut Genitor; hæc robur Cordi magnanimo unâ cum lacte indidit, quasi Te Leæna Alcidem nutriret; quia VICTORIA. Ille bellicam facē

gradivo pectori admovit; Hæc Vestales Divi-
ni Amoris flammæ quæ Regni Custodes sint,
Cordi ceu aris imposuit; Ille demum magni-
tudinem animi in adversis, Hæc prudenti-
am edocuit in prosperis; Ille tenerum amo-
rem Patriæ impressit pectori; Hæc Divini
Honoris curam, ut sanctitatis suæ idæam, in
Te depingeret. Uterq; tandem Parentum
Illustrissimus, & fervorem animi ad bella
cum claritate Nominis, & amorem Patriæ
cum sanguine, & meritorum pretia cum for-
tuna, & tandem Cultus Divini curam TIBI
Successori magno relinquunt cum Gloria. U-
terque suæ in Patriam Divosque pietatis in-
stillavit alimenta, quæ tandem in substanti-
am Tuæ ingenti naturæ transirent & in vi-
tam; Uterq; ad Fortunæ Nominisq; magni
compendium, adjecit quoq; & merita, ne
Ipse duntaxat titulorum Hæres videaris esse
non virtutum; Ostendantq; insuper Paren-
tes Lectissimi Orbi integro, quod Aquilæ
progenerent Aquilas, cedriq; non fagos fa-
sciis involvant, sed Cedros. Et nisi maximi
Genitoris ingens spectareris Filius; Adeoq;
plus jam supra dignitatem Ejus, absq; vir-
tutis majorum injuria laudari non posses;
dixisset utiq; non unus! & sanè, quod in
Te nato Cœli, ceu majori Domus incremen-
to, confluentis beneficiò plura naturæ do-
na convenerint, nempe & Paterna simul, et
Mater-

Materna. Sed quia cum grandi fortuna simul
ingentis animi munera in Parente Tua Illu-
strissima pro Dote numeravit Palatinus, &
ad pretium sui Nominis recensuit; ideoque
fatis est, quod Vespasiano Parenti non
minor succedas Titus totumque Te ad
normam utrarumque dotum ita posthac
componas; ut ne minimus quidem color Pa-
ternæ virtutis simul & Maternæ sit, quem
in Te ad vivum non exprefferis. Et hic jam
plane plerisque; Regnis, Cœli faventis benefi-
ciò, in Te quædam infortunia pensari visa.
Videlicet cum infauſta adeo céserentur, quod
tam ingentem Virum (Parentem loquor Il-
lustrissimum) videre olim vix possent; in Te,
qui illius gloriæ & virtutis viva Imago es,
sibi lineaméta Ejus repingerent; & *Philippum*
Poloniæ Illustrissimum, in Te spectarent Ale-
xandro. Itaque primo ad Imperialem devolu-
tus Coronam, velut gemma Regni Sarmatici,
illa pietate animi in Superos, propensione
vultûs in extraneos, generositate mentis in
omnes, cordis sinceritate in singulos, Au-
striaco Orbi adeo enitueras, ut oculata Re-
gni fortuna, & testis obsequiî esse vellet;
quanti scilicet fuerunt? (qui pro fide ad Vi-
ennam hosti Sanguinem litarunt,) vel Ipsi
POTOCCII; ex Te facile quisque & Sangu-
inis dignitatem conciperet, & Gloriam Vir-
tutis Heroicæ; qui totus in Te, Tuisque mo-
ribus, Domûs Celsissimæ ingentem famam,
H Orbi

*Illustrissimi
Capitanei
peregrinatio
primo ad
Imperium.*

Orbi extraneo ad normam præferebas. Et
verò inter grandes Tui PILAVÆ fulgores,
illam Tuo ortu diem Orbi Cæsareo invexisti;
ad quam ipsa coronata Aquila prospiceret,
in Te Sole Regnatores oculos defigeret, to-
tamque aciem non tam ad videndum, quàm
ad stupendum potius Tuæ Gloriæ meridiem
convocaret. Ad Regnum tandem Galliæ
promotus illo demum tramite ferebaris, quo
ad illos liliati Imperii Joves, decebat progredi
Ganimedem Poloniæ Illustrissimum; ad
Terram Regnorum florentissimam, Domus
Rosam Principem Trabeatæ. Adeo sese illa
in Vultu Tuo amænitas explicuit, ille in pe-
ctore candor, ille morum Odor & suavitas;
ut quisque in Te Virtutis omnigenæ Hymet-
tum colligeret, & ingêtes honorû fasces tacito
Tuorum meritorum vaticiniò destinaret. In-
de constat non tam Te ad Regni illius Para-
disum Solò Lechicò transplantatum, ut ex
illa vernantissima liliorum lingua aliquid de-
libares; Sed Virtutum Tuarum Florentiam
Regno illi morum sæcundissimo ad normam
relinqueres. Et hoc erat ingens Tuæ flori-
dissimæ Indolis desiderium & pæne ingen-
tem Orbi Polono invidiam in illis deinceps
concitare, adeo, ut cum Te diu habere, avo-
cantibus Patriæ amoribus non possent; sal-
tim Tuo in Sanguine, LESZCZYNIA scilicet
Serenissima, ad Throni consortium unà cum
Lilio Rege rapereris. Unde quoties illa Gal-
lici

lici Hymetti pæsta suo prospectu animos in-
tuentium recreat; occurrit illis amæna Tui
Nominis memoria & Virtutis; amarisq; im-
pensius; quo magis in Tui Sanguinis obtutum
corda defigis populorum.

Jam tandem meritam frontem Orbis
Capiti Romæ porrexisti; illamque Tuô nu-
per superciliô Majestatem præferebas, ut to-
tam denique Romam non minus in Tuæ di-
gnitatis prodigium exciveris, quàm amorem.
Hic Te Piscatoris Annulus, ceu Regni Lechi-
ci clenodium æstimare; hîc Tiberis ceu alti
Sanguinis Oceanum fitire; hîc triplices de-
mum Coronæ terno Tui PILAVÆ decore
adornari; hîc Petra Ecclesiæ, ad virtutis
harmoniam, ceu Orphei Cytharam exsilire;
hîc tandem Fortuna Orbis Romulei retia Pe-
tri tendere, ut in Te non uni Timotheo co-
ronas, Mitras, Clavasque; qui ingens Regū,
Principum, Ducumque Sanguis es, & Cor-
na, piscaretur.

*Romam
in super*

Sic postquam omnium in Te pæne Re-
gnorum amores irritasti potius, quàm exple-
sti; ad Patriæ tandem otyor solatia prope-
rabas; ut collectas tandem ex tot Regnorum
ærariis Sapientiæ opes, in unum Lechiæ
Thesaurum congereres; faceresque illam de-
inceps Orbis compendium eruditi. An e-
nim semel ad publica Regni Comitia Legat9,
ceus ingens Patrii diadematis, clenodium ef-

*Illy Cap-
itanus ad
publica Re-
gni Comitia
Legatus.*

fulfisti? Audivit Te illa congregatæ Nobilitatis Corona, ut Gallicanum Herculem verba ab ore spargentem ut nummos, aurumq; potabile ad laborantis Patriæ salutem profundentem. Jam quoties publica Regni tranquillitas inter animorum lægvebat diffidia! nisi *Capitaneæ Illustrissime* Tui oris prætiò unionem instillares, primumque vigorem & robur Sarmaticæ redderes dignitati.

Prudentiæ Tuæ Virtutes non recenseo, cum hæ unà cum cæteris dotibus in Te adeo effulserint, ut duntaxat noctua ad solem ille sit, qui illas aut videre nollet, aut non posset. Satis est dicere: quotquot meritorum dotes in Patria, quotquot trabearum decora in Senatu, quotquot legum defensas in Curia, quotquot demum Virtutes Heroicas in Campo, Tua Domus Illustrissima collegerat; totum id in Te, veluti suarum dotum refudit compendium, ut quoddam deinceps POTOCCIANÆ Dignitatis armamentarium, scutumque Domûs Hæroicæ, & ameris ab Orbe integro, & æstimeris.

Admittes tamen ad immortale Tui Nominis Clasticum, etiam Titulorum Exercitum in Gentilitiis ZAMOYSCIORUM Hastis, in Consortium Tui PILAVÆ Triumphalis, *Capitaneæ Illustrissime*. Utique, si inclytus Sarmaticæ Militiæ flos es? non exiguum bellicæ Virtutis incrementum existima, si Te ZAMOY-

MOYSCIANI Sanguinis in Lechiæ Pæsta
 HELENA ILLUSTRISSIMA inundent dilu-
 via, quibûs ille nuper vastus Poloniæ Cam-
 pus ad maiorem gloriæ sæcunditatem inna-
 tavit. Spectabant, spectabant! olim Regni
 Sarmatici soles, exporrecto inter bellorum e-
 tiam tempestates oculò, bellicæ Virtutis vi-
 gorem, in FLORIANO SARIO primo Domûs
 Illustrissimæ Parente & Authore. Nempe
 ut Militis Divinissimi Nomen, in mores He-
 roicos transumpisset & Indolem, verè flos
 Poloniæ militiæ inclytus nunc ingenti armo-
 rum manipulo in campos institit excurrere,
 nunc Hostium cervices generosius demetere,
 ex illis tandem ingentes laurearum fascies ad
 Coronam Patriæ convocare. Sed heu! fe-
 rax id triumphorum pectus! suum tandem
 in hostili lancea sanxit vomerem; ut illud ac
 si adhuc non pro magni fudoris ubertate
 fertilesceret, atrox ferrum araret immaniùs;
 vigentemq; adhuc corde Gradivo amorem
 Patriæ inter convulsi pectoris abdita pro-
 fundiùs scrutaretur. Et Tu quidem Heros
 invictissime innatabas Tuo Sanguini irriguo,
 ut illius tandem beneficiò è Tuis vulneribus
 hastata virorum Messis in ZAMOYSCIS sæ-
 cundiùs olim ad Patriæ subsidium pullularet.
 Inspirabas Polonorum animis erumpentem
 per hiantia vulnera illum Entheum, quo de-
 mum Patriæ integritas viveret; dulciùsque

*Origo Stem-
 matis Zamoy-
 sciani Heroi-
 cum pectus
 Floriani
 Sarii.*

inter bellorum æstus post lectas demum laureas respiraret. Effundebant seise per laterum fissuras in Campum, toto sinu chara Poloniae viscera; ut si quem magnanimo corde suus in acie metus destitueret, viscera FLORIANI cor animūq; adderēt ad prælia; et exarmati generoso spiritu pectoris defectum, Entheus ZAMOYSCIANI pectoris compensaret. Sed spectate tamen ZAMOYSCII ILLUSTRISSIMI, illum Vestri FLORIANI inter Cordis deliquia pacis internæ amorem; Cujus animum gravius, domestica cum vicinis diffidia, quam pectus hostilis læcea fauciarent. Videlicet graviores Flori huic confitæ intra unius Horti compendia spinæ fuerant, quàm ab extraneo Campo manu illati Hortensia, quæ aliquando non tam Hymettum lacerant, quàm tuentur. Et hoc demum erat ab ingenti adeo Herois casu primam Domūs Vestræ plātam erigi, à quo deinceps cum Anthæo fortissimi Nepotes in Patria ZAMOYSCII surgeretis. Nolim ego ingentia Sanguinis Vestri decora ad Calamū diutiùs evocare: ne forte exilis stylus erubescat, quod non pro Tanti Nominis pretio sese in paginam effuderit, Nomen Vestrum intra paginæ compendia, non explicet.

Non præterit tamen ut constantem Orbis integri memoriam, sic & pennæ velocitatem, JOANNES ZAMOYSCIIUS *Cancel-*
larius

larius Regni, Supremusque Exercituum *Dux*, *Sago togaque*
 & armorum iuvictus *Arbiter*. Præcursores *inclutus Illu-*
 planè Triumphorum dixeris: quod ubique *strissim Jo-*
 suum JOANNEM, ingentibus fere sylvis *annes Za-*
 laurus Heroicæ sequerentur. Sive enim *moyscis Can-*
 Sveticus Leo armasset ungves in Lechiam? *cellarius Re-*
 edomuit ferociam ut Hercules. Sive illa le- *gni & Supre-*
 vis armaturæ Militia (Valachiam loquor) *mo Exercitu-*
 cum suo Michæle Principe irrumperet? *um Dux.*
 temeritatem repressit ut Cunctator Fabius, *Svecos, Vala-*
 five demum biceps in Maximiliano Austri- *chiamq; in*
 aco Aquila ferocius Sydus Polonum invola- *Patriam ir-*
 ret? adussit bellico æstu pennas ut Phæbus, *rumpentes ge-*
 & prædonem Sarmaticæ libertatis ungulam, *nerosè repre-*
 compede edomuit quantumvis aureo. Di- *fit. Maximili-*
 sceret nimirum Avis hæc: displicere ejusmo- *anum Austri-*
 di aucupia Tutoribus Patriæ ZAMOYSCIIS; *acum ter vi-*
 Si cuperet demum, quærendam sibi extra la- *ctâ aureâ Ca-*
 res Catholicos prædam, non in Lechia. Et *tenâ oneravit*
 tunc jam pæne sub Jagiellonico Sigismundi
 Tertii manipulo Orbem edocuit universum;
 nulli salubrius bene merentium panem con-
 ferendum esse, quàm deinceps ZAMOYSCI-
 IS; qui tam optime illo in toxicum famefcen-
 tis usi Aquilæ; ut post elusas adeo turpes
 rapinas, prædam posthac ex Orbe Lechico
 repetere formidaret.

Sed Dii boni! quanto protuuc sese Oce-
 ano ZAMOYSCIORUM fama unâ cum ho-
 stili Sanguine ad Byczynum effudit in littus

Ad Byczynū
Silesiæ urbem
victor Maxi-
miliani Joā-
nes Zamoy-
scius.

extraneum. Virum sui plane Nominis credidisses, id est: Vocem clamantis inter tot laurum nemora, feralesque hostium cupressos toto Orbe suæ gloriæ Classico disertissimam. Hic jam undique applaudentium Vota velut ad prodigium quoddam Sarmaticæ Virtutis & Gloriæ JOANNEM cæperant convolare. Jam inimica pro tunc Vicinia, de se, suoque Regno funestiùs conclamare; jam conciti in subsidium Archiduci armorum strepitus ignobiliùs cõtìcere, jam exasperatæ in Patriæ ruinam feræ non homines mansvescere. O! prodigium Heroicæ Virtutis! omnî miraculò insignius! Adeo illud grande JOANNIS Caput, non ipsum tantum Regem in Hercde deterruit, sed & Imperia!

Ut verò non uno duntaxat Sagò, sed & Toga etiam constet Orbi illum esse, quo nemo major surrexit, JOANNEM ZAMOY-SCIUM, Vastum illud Caput, quod nuper collegit intra galeam, in Patriæ cõmoda deinceps explicuit. Adeoque nunc Polonarum legum tomos in quædam digesta cõposuit, nunc obtritum toties ingentibûs bellis Sarmaticæ Themidis gladium ingenii sui acie expolivit, nunc illud augustum Caput, ad quod nuper hostis quantumlibet Gygas cohorrui, in Poloni Capitolii fundamenta projecerat, primus tandem Tribunalitiæ Curiae Aristides esse institit & Inventor. O! ingentem

*Illegitimus
Zamoyscius
primus inven-
tor Tribuna-
lis Regni.*

gētē Virū nō unō sæculorū pretiō æstimādū.

Et has in JOANNE ZAMOYSCIO ingentes Orbi Polono gratias recensuimus.

Quid demum, si se in abyssum gratiarum abjiciat oratio? (THOMAM loquor ILLUSTRISSIMUM) & Vires labor hic absorberet & sæcula.

Cancellarius nuper Regni, id est: ad latus Orbis cognomentō Alexandri Sarmatici, VLADISLAI quarti, alter Euphestio, sive intra publica Regni consulta, sive extra Patriam, Orator eloquentissimus; gemmas potius pro salute Patriæ non verba fuderat; ut ingens illa Viri facundia, non tam premi Regni annulō, quàm inferi potius ad dignitatis Polonæ decus & pretium debuisset. Et tunc sese Achatem pæne Piscatoris annulo Regnīs æstimandum exhibuit, dum toties ad irrumpentis tacitē Hæreseos toxica, ne quando nocerent Patriæ fidei; defudāset. Nec erat posthac solennior Nomini dies expectanda; ut cum tutelare Lilio Sangvinem eliceret potius, non sudorem; quæq; nimirum illius virtuti Sacra videbatur, quod nunquam à dignis Cœlo, pro fide laboribus destitisset.

Auxit demum ut ingentibūs meritīs pretium, sic Sangvini & Patriæ decorem ILLUSTRISSIMUS MARTINUS ZAMOYSCIUS Thesaurarius Regni æstimatissimus. Videlicet ne nuda quandoq; Patria inces-

K

fet,

*Illmo Thomas Zamoy-
scig Filius
Illmi Ioan-
nis Zamoy-
scii.*

*Cancellarius Regni
disertissi-
mus.*

*Defensor
Fidei cōtra
Hæreticos
& Schisma-
ticos.*

*Illmo Mar-
ting Zamoy-
skipost
Bract: &
Lubl: Pala-
tinarū The-
saurarius
Regni A-
vg Illma
Capitaneus.*

set, bina Trabearum decora nunc Bractavi-
ensis, nunc demum Lublinensis Palatinus,
non jam cum Jove Lechico divisit, sed u-
trumque ad Patriæ ornamentum Heroibus
lacertis detraxerat, Sangvinem etiam vitam-
que in stipem oblaturus, si eam extrema
quandoq̃, Patriæ inopia postulasset. Sed
hoc demum erat, feracem dignitatum Poloni-
am non tam ditare, quā illa suo Sangvini cō-
genita humanitate mereri: ut tandem ZA-
MOYSCII beneficiō, trabeati Penates Sarma-
tici, ultra somniorum umbram, ad sui illum
Thesauri admittant Cœlum; & munificas in
se manus aureis dotent clavibûs. Rati ni-
mirum: liberali MARTINI animo, ita fiden-
dum esse, qui non modo aliena non cuperet,
sed sui etiam Sangvinis pretiō comparatū Ho-
norē, in Patriæ subsidiū libentiùs dispēsaret.

Illmo Mich-
el Zamoyscio
post fata sui
Fratri Illu-
strissimi Or-
dinat9, Pater
Illmæ Capi-
taneæ.

Ut verò Aquila non imbellem proge-
nerat Columbam, sed Aquilam, nec Leo ma-
gnanimus leporem quandoque parit, sed Le-
onem, sic & Sarmatici Campi Hectorem
MARTINUM ILLUSTRISSIMUM non alius
sane decebat Sangvis, nisi qui aut THO-
MAS esset hastatus pro Patria, nuperque Za-
moystiensis Ordinatus, vel Cœlo dignus Heros
MICHAEL; Tuæq̃; Cōsortis Pater *Capitaneæ*
Illustrissime. Utriq̃; spirans bella nomen &
animus; utriq̃; & manus ad fulmina in ho-
stem, & pectus ad defensionem Patriæ ex-
porre-

porrectum. Venatorem egit numper Poloniae strenuissimum, ut inter illa Sarmatici Honoris aucupia, & inimicas Patriae feras domaret cum Hercule, & ipsam demum Sarmatici Regni Aquilam, artem legendae de hostibus praedae edoceret: nisi quod nullum ejus virtuti locum Poloniae Campus in oleas saecundior, quam laurum, permisisset.

*Illmo Micha-
el Zamoyfki
Venator olim
Regni.*

Itaque cum publica Regni tranquillitas gladium ab acie prohiberet, convertit illum ad Tribunal Sarmaticae Themidis MICHAEL ILLUSTRISSIMUS, Judex Regni Deputatus. Adeo illa Heroico Nomini congenita armorum studia nunquam tractari non poterant; ut siue Gordios legum resolveret, ut Alexander mucrone enodavit, siue nefas est Regno proscriberet, edictum Gentilitiae hasta exaravit, siue demum ultimo pro lege decideret, ut MICHAEL justo fervore animatum ensen exporrexisset.

*Judex Tri-
bunalis Regni
Deputatus*

Jam legatus ad publica Regni Comitia, audistis? quantis non armabat Stylum Oratorem acuminibus, quibus Patriae integritatem tueretur. Diceret plane Sarmatici Hymetti apem mellifluam; quae scilicet inter verborum Ambrosias, aculeos etiam propinaret, non ut corda divideret; sed ut illo sermonis nectare, famem Honoris Sarmatici in cunctis acueret. Rosis insuper Trabearum admotus Palatinus Smolensciae Illustrissimus,

*Legatus ad
generalia Re-
gni Comitia.*

*Illmo Micha-
el Zamoyfki
Palatinus Smo-
lenscensis.*

hic demum Hyblas ex illo dignitatis flore collegerat, quibûs ad gustum omnibus amarum quantumvis pro Patria laborem condidisset. O dulcem sane Parentem Patriæ, ut apem, ad cuius svavitatem cuncti intra Lechiæ viscera dulcescunt amatores; cuius demû & Capitis, & ferri acumen, ingens quantûvis hostium fames in Patriam, reformidet. Sed ut quid divisim eo per singula? cum hæc ZAMOYSCIANI Honoris integritas non permittit, & svadam insuper obruit numerus titulorum. Non mei est muneris fortuna, de Vobis scribere ZAMOYSCII ILLUSTRISSIMI, sed fastos Patriæ, sed Annales, sed Magistratam demum sæculorum memoriam indagare: quis toties Campum hostili Sanguine cruentavit? & reponet: ZAMOYSCII. Quis tot Rosas Violasq; nunc in ArchiEpiscopo Gnesnensi KIZLAROGIO, nunc Leopoliensi, nunc demum Luceoriensi, Chelmenfiq; numerat? ZAMOYSCII. Quis cespitantem Patriæ libertatem in pedes cum aliis erexit? ZAMOYSCII. Quis ingens illud Polonæ integritatis propugnaculum (Zamostiam intelligo) validissimîs murîs circumiudit? ZAMOYSCII. Quis demum ad optimam legum normam rigorem Polonæ justitiæ composuit? ZAMOYSCII. Quis tandem literarios Sarmaticæ nobilitati ludos ad Patriæ solatia tam ingenti sumptu instituit? ZAMOYSCII. ZAMOY-
SCI.

SCIUS quisq; in Lechia idem est, quod Anni-
bal in Castris, Gradivus in acie, Cato in Se-
natu, Aristides in curia.

Tot itaq; & tanto Heroicæ Virtutis nervo
obligata ZAMOYSCIANÆ Domui Trabea-
rum fila, adhucne in Ariadna sua HELE-
NA ILLUSTRISSIMA Tuos sibi amores non
devinciunt? adhucne tot Coronas trium-
phales promeritæ frontes, Tuæ CRUCIS fasti-
gium non merentur? adhucne tot titulorum
exercitus, sub Tui PILAVÆ signa ad digni-
tatis Polonæ subsidium conscribere dedigna-
beris *Capitaneæ Illustrissimæ*? Utiq; si Rosa ma-
gni Sangvinis es? aculeos etiam ex Patritiis
SARIORUM Hastis colliges ad Tui decoris
confortium. Si ingens POTOCCIANI Ho-
noris Pantheon? aram concedes intra Tui
Cordis Altaria HELENÆ *Illustrissimæ*? Si
tandem unicus Parenti Tuo Phænix? vivisq;
bellorum incendio? triumphalem rogam ad
magni Nominis immortalitatem construent
ZAMOYSCIORUM hastæ victricium laurea-
rum sæcundissimæ.

Permittes adhuc *Illustrissimæ Domine*: ut
umbram Domûs magnæ, quam ab exordio A-
pelles Orator projecerat, iterum repingat
in pagina. Nimirum si Sarmatici Regni estis
Antonii PILAVITÆ Illustrissimi? Domûs
ZAMOYSCIANÆ ærarium, magni Poloniæ
Thesaurarii Neptem lectissimam, pro immor-
L tali

tali Vestræ Domûs pretio ad cordium Nominisq; Unionem admittetis; si in grandem Dodonæ lucum Vestro in PILAVA pullulastis, Custodem ZAMOYSCIORUM lanceam adsciscite, quæ arboris Vestræ Celsissimæ munimentum sit & PILAVÆ decus. Si demû alti sangvinis Archipelagus? pulchrius illum JOANNIS ZAMOYSCII torquem, quem nuper cervici ArchiDucum Austriæ intorserat, ad tam ingentē Nominis Vestri nexum cum ZAMOYSCIA *Illustrissima* ceu Xerxis petiosa vincula cordi habebitis; Ut sic intra tantæ conjunctionis marginem, magis adhuc Vestri Sangvinis redundet Hellespontus. Si bellorum insuper fulmina Scipiadæ? ad meridiem syderis ZAMOYSCIANI evoletis, ut ej9 tandem subsidio ad majus Gloriæ Vestræ Classicum in hostes detonetis. Si Iosones? si Ullyssæ Navis Sarmaticæ? & Phryxeum vellus, quod in tot Trabeatis ZAMOYSCIORUM lacertis enituit, ad fortunam Regni; & ingentes *Domûs Illustrissimæ* Ceras colligite; quibus tandem contra syrenes Honori Sarmatico præficas & Vestro, pectus auremq; bene Orbi integro audientem muniatis. Si Cadmi Herodës Poloniæ? non satis est, ut ingentes Draconum exuvias, ceu clypeatæ Virorum messis semina humi conseratis, sed tellurem insuper aretis Sarmaticam, aureum in aurea messe sæculū elaboraturi ZAMOYSCII.

Si

Si tandem Alcidæ Patriæ invictissimi ? Domitorem utiq; Vestræ Domûs manum & Leo Svetic9 olim ingentî ruinâ sensit, & Moschorum Hydra. Eget insuper ZAMOYSCIANI Nominis fulgoribûs unâ Vobiscum fœderatis monstrosa cervix aduri; ne iterum sese in Lechiæ protendat exitium.

Hæc Orator repingit Calamus. Ecce verò ad ultimam laudis Vestræ lineam nova quædam sese triumphorum species ac idæa repente pennæ objicit. Nimirum ingens illud (quo nuper Orbis Sarmatici gloriam munivit ANDREAS POTOCCIUS Supremus Exercituum Dux, Parensq; iuvictissimus obfirmat usque hodie,) propugnaculum Sacris VINCENTII armatum Exuviis. Vestra verò ZAMOYSCII *Illustrissimi* illa validissima Urbs & Nominis Heroici munimentû, CONCORDIÆ Divæ Corpus, ceu chara pacis Sarmaticæ conservat pignora. Boni Superi! quàm inde optandû omnib9 triûphorû confurgit omen ! si nimirum ad ingentia fœdera etiam sese inquilini Vestris Urbibus Penates consociant, facileque Domui POTOCCIÆ tam VINCENTII deinceps sint, quàm CONCORDIA. O ! beatam verè toto Orbe Cœloq; Lechiam ! si binis belli pacisq; Tutelaribus, bina etiam Domûs Vestræ Tempia, in unum posthac Avitis Crucibûs consecrentur; idemque sit utrique Sacrarium & Fla-

men amor. O Gloriam Poloniæ integrò deinceps amplissimam universò, quàm fæderati Nominis utriusq; Majestate, & pacis tempore augebitis in CONCORDIA, ut Numæ; & bellorum tempestate in VINCENTIO, ut Romuli; dicendi posthac in utroq; Domus Vestræ Patrocinio, Sagò togâq; Poloniæ Tutelares. Vincetis deinde sæculorum gloriam Nominis perennitate, stabitis infracti ullis fatorum insultibûs ad fortunæ constantiam. Subigetis tandem devotum Vobis Patriæ Amorem Sanctâ belli pacisq; Concordiâ. Ita vovet tutissima sub Vestri invicti Nominis azylo Polonia, ita fæderata in unum Orbis integri desideria, ita tandem minima JESU Societas, Vestro Honori æternum mancipata; ut illo titulorum exercitu, quem hodie sub Vestri PILAVÆ signa ad Polonæ dignitatis subsidium conscripsistis, de fatis tandem serisq; ætatibus triumphetis.



KSIĘGOZBIÓR
MARCINA ZAMOYSKIEGO

4110

-KZ